



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De monacho Clareuallis, qui fratrum adiutus orationibus Priori  
conscientiam suam reuelavit, cap. 51

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13177**

confessionis gratia idem vsurarius, ait illi Plebanus: Amice, ego & tu hodie bene decipiemus diabolum: tñ tantum verbotenus confitere peccata tua, voluntate peccandi deposita, & acquiesce consilio meo, & ego tibi vitam æternam promitto: sic tibi temperabo pœnitentiam, vt non fiat tibi onerosa. Bene nouerat vitium, in quo laborabat. Respondit ille: Si hoc quod promittitis constaret, libens vterer consilio vestro. Et promisit ei. Qui cum confessus fuisset, & abiurata vsura pœnitentiam suscepisset, scio suo iam dicto homicidæ occurrens, ait: Verè dulcissimum habemus sacerdotem, nam pietate verborum suorum ad pœnitentiam me adduxit. Cuius exemplo ille prouocatus, ad confessionem venit, & similia circa se pietatis sentiens indicia, pœnitentiam suscepit & expleuit.

*Prompti  
tudo cõ.  
fessary.* APOLLONIUS: Ex multis, quæ iam dicta sunt, considero, quòd confessio multam requirat perfectionem, tam in confitente, quam in confessore. CASARIUS: De vno adhuc superest dicendum, per quod omnes confessoris virtutes consummantur, scilicet vt promptum & hilarem confiteri volentibus se exhibeat. De hoc habes exemplum in distinctione prima cap. sexto, vbi Angelus domini Priori de Alna in specie monachi impropertavit, quod eundem monachum confiteri volentem signo suspenderat. Si confessor ad hoc fuerit paratus, quantum placeat Deo, & quantum peccatoribus expediat, sequens sermo declarabit.

## CAPVT LI.

**A**NTE hoc biennium, cum dominus Wilhelmus Abbas Claraualis cum cæteris Abbatibus contra Gallonem Cardinalem profectus fuisset Romam, quidam ex monachis eius euidam ex confessoribus peccatum quoddam criminale confessus est; cui dixit: Bene te audio, bonum consilium do, sed absoluere te non potero, quia confessio hæc debita non est; consulo, & rogo, vt confitearis Priori, qui potestatem habet. Illo respondente: Hoc nunquã faciam, confessor dolens, ac fluctuans corde, tacita persona

persona atque peccato, periculum confitentis. Domino Sigero Priori reuelavit: qui multum dolens, & de salute periclitantis cogitans, magni consilij angelum cum lachrymis inuocauit. Eodem tempore, cum Cōuersus quidam ex eis peruersus multa furaretur, Prior Dei nutu, nocta occasione, in capitulo monachorum vitium furti exprobrās, hoc adiecit; Si fortè aliquis est inter vos, cauteriatam habens conscientiam, ita ut non possit eam suo prælato aperire, pro tali tribus diebus vobis iniungo orationes. Omnibus orantibus, cuidam iuueni sacerdoti, nomine Wilhelmo, in vigilia omniū Sanctorum cū lachrymis orāti, vox diuina respondit: Monacho pro quo oras, confessio sua, quia debita non fuit, nihil profuit; sed dic priori, ut cras dicta Prima, post Missam ante capitulum stet, ipse enim ad eum veniet, sicque factum est. Exhibente se Priore coram capitulo, ecce monachus venit, signumq; confessionis Priori faciens, cum eo intrauit, & facta confessione cum multo gemitu & lacrymis, pœnitentiam condignam suscepit.

FINIS LIBRI TERTII.

## CAPITA LIBRI

## QUARTI.

<b>D</b> E eo quòd vita religiosorum sit tentatio, & exemplum de rege Carlomanno, & de fare à sancto Bernårdo à suspendio liberato, cap. primum.	
De septem vitis principalibus, cap.	2
De superbia & filiabus eius, cap.	3
De Cōuerso à spiritu superbie tentato, & per Angelum, per offensa cadauera mortuorum liberato, cap.	4
De casto monacho, quem diabolus dixit se non timere, eo quòd esset superbus, cap.	5
De Theobaldo nouitio, qui immundicias bibendo, motus superbia	